

raphini Isaiæ duabus velabant faciem, duabus pedes, duabus volabant, hoc est habebant eas extensas tanquam parati & expediti ad volandum ad Dei obsequium.

276. Et in circuitu, & intus plena sunt oculis. Sic explicata. Intus, id est, tam intra alas, quam extra; tam intrinsecus, quam extrinsecus plena sunt oculis, Opponit in circuitu ei quod sequitur, intus; quod dicitur propter vigilantem, ac diligentem coram eorum, quæ scribant sacri Evangelii: vel si ad Prælatos referas, hoc de eis gestis: quia debent esse cauti, providi, proficere bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus: Et requiem non habent, id est, non cessabant die, ac nocte, in Dei laudibus: Sanctus, Sanctus, Sanctus; iter repetitur idem nomen, ut sancta Trinitas in unitate essentia significetur; & idem dicitur semel Dominus Deus.

277. Qui erat, & qui est, & qui venturus est. Quod etiam dictum est c. 1. n. 4. ut ibi exposui n. 101. tamen hic aliquantulum mutatur ordo, nam ibi dicitur, Qui est, qui erat, qui venturus est. Causam transpositionis dat Alcazar cap. 1. ait, hoc nomine trino notatur Dei providentia circa Eminentiam quod jam revera est Redemptor, qui olim erat promissor, & figurator, & tandem venturus est, ut opus suum plenè perficiat. Cornelius aliter respondet quod hic ponitur ordo illorum trium operum, quæ tribus personis attribuantur, id est, creatio, redemptio, & perfecta sanctificatio. Qui erat, refertur ad creationem; qui est, ad redemptionem; qui venturus est, ad Ecclesiæ sanctificationem, vel potius beatificationem, & glorificationem.

278. Tamen causam hujus transpositionis existimo eam esse, quia cap. 1. scribat Joannes ad Episcopos Asiæ, ac homines hujus sæculi, & idem in fronte ponit qui est, quia homines maxime respiciunt ac venerantur eum, qui in præsentiarum dominatur; sentiarum est, & in præsentiarum dominatur; At hoc cap. 4. Beati primò celebrant, qui erat ab æterno nempe, à quo tot ac tanta dona acceperunt; nam si homines hujus sæculi primò, & immediatè reverentur eum à quo in præsentia dependent: justè verò ac Beati maxime conjiciunt oculos in illum à quo tot ac tantis donis sunt condecorati ac sublimati.

QUESTIO XXXII.

De modo, ac dispositione alarum in his animalibus.

279. At textus de quatuor animalibus: Singula eorum habebant alas senas. Allusio fit ad Seraphinos Isaiæ cap. 6. num. 2. quoad alas enim ac voces Sanctus, Sanctus, Sanctus, similia erant hæc animalia; apud Isaiam Seraphini duabus velabant faciem, duabus pedes, velabant, non sic apud nostrum Joannem, sed omnia animalia habebant alas extensas, non tanquam volantes, seu ut promptas, ac expeditas ad volandum, ut statim dicam.

280. Prædus, Vilalpandus, Pererius, licet tantum quaternis alis fuissent instructi, tamen ipsos tam

279. Hai. 6. Similitudo animalium cum Seraphinis. 280. Prædus, Vilalpandus, Pererius.

Seraphinis Isaiæ, quàm animalibus nostri vatis omnid fuisse similes volunt, imò eisdem, quia Ezechielis Cherubini præter alas quatuor, habebant duas manus, quas Joannes & Isaias c. 6. vocant alas.

At hæc sententia non subsistit ut advertunt Alcazar, Cornelius, & alii, quia Seraphini apud Isaiam cap. sexto, numero sexto, præter alas habebant manus. Ait enim Propheta. Volavit ad me unus de Seraphim & in manu ejus calcule. Similiter animalia Joannis præter alas habebant manus, ut pater infra capite quinto, numero octavo, & capite decimo quinto, numero septimo, singula enim tenebant citharas, & phylas utriusque non pedibus nec alis, sed manibus: ergo præter alas habebant manus, ac proinde quantum ad hanc circumstantiam distinguebantur ab animalibus Ezechielis.

281. Addit tamen Alcazar sectione quinta, quod animalia Ezechielis quatuor habebant alas; duabus velabant corpus, duabus verò volabant, tamen non indigebant alis ad caput velandum, quia cum hæc animalia significarent Angelos, in quibus nulla est macula præterita, nulla erat ratio erubescentiæ, ac proinde nec ratio ad operiendum vultum. At Seraphini Isaiæ, & animalia Joannis significabant viros Evangelicos & Apostolicos, qui licet perfectissimi, tamen ob præteritæ vitæ maculas indigebant alis; quibus tegentes faciem, suum pudorem, & confusionem coram Deo testarentur, & idem habebant sex alas; duabus velabant caput, duabus pedes, duabus volabant, ut pingitur Seraphinus, qui sacra Christi crucifixi stigmata sancto Francisco infixit, & ita gestabant crucis imaginem tanquam stemma, & insigne Christi, & ut ait Divus Germanus Constantinopol. orat. de cruce, Beati in patria Deum laudantes ad modum crucis sese disponunt, & aptant, ac si nil gratius Deo valeant exhibere, quàm ejus crucem representare.

282. Doctrinæ gratiâ addo, duabus volabant nempe illis alis, quæ erant ad peccata & cor ubi ledes est amoris, amor enim insatiabilis est, & numquam quiescit, sed semper in suo affectu vult magis ac magis crescere & ascendere, & dum amat, magis ac magis intendit volare ad majorem amoris vim. Richardus Victorinus de gradibus charitatis. Fames anime desiderium est, sic verò Deum amat anime, amore non satiantur, sed ita insatiabilis ex copia parit inopiam, dum ex prægruatis deliciis amplius in desiderio exardescit quod etsi datur ad plenitudinem, nunquam datur ad satietatem.

283. Tamen totum hoc assertum Alcazaris non subsistit, nam id quod ait quod animalia Ezechielis, cum representarent Angelos non indigebant alis ad caput tegendum, quia cum in eis nulla fuisset macula, non erat erubescendi ratio. Imprimis debebat ipse advertere quod animalia Ezechielis habebant tanquam sub alis capita velata similitudine firmamenti extensi super capita eorum, ut dicitur cap. 1. n. 22. Et similitudo super capita animalium firmamenti quasi aspectu crystalli horribilis, & extensi super capita eorum de super. Deinde debebat retordari pronuntiatum Job. 15. n. 15. Cæli non sunt mundi in conspectu ejus, & cap. 25. n. 5. Ecce Luna etiam non splendet, & stella non sunt mundi in conspectu ejus. Angeli ergo etiam si nullius labis conscii sint,

281. Rejicitur prædicta sententia. Apoc. 5. 282. Alcazar. 283. Germanus. Beati in patria cum crucis imagine gratissimi Deo. 284. Rejicitur sententia Alcazaris. 285. Job. 15. Job. 25.

fiat, coram tamen divina majestate, quasi nulla fiducia fruuntur, & rubore suffunduntur, tanquam immundi maxime se contrahunt, ut ponderat Olympiodorus apud Catenam Græcam ad primum locum Job; ergo omnis venerationum, quas fabricatur Alcazar de animalibus Ezechielis omnino evanesceat, & extenso firmamento habebant capita velata sicut Seraphini Isaiæ.

285. Habebant ergo Seraphini Isaiæ capita velata duabus alis, & Ezechielis animalia habebant etiam capita velata, seu occultata extenso firmamento, quod super capita eorum imminerebat; at hæc animalia Joannis capita obtinebant aperta absque aliquo operimento, nam si haberent capita alis velata hoc exprimeret Joannes, ut expressit Isaias, alis; & ut Ezechiel nobis subintelligendum proposuit extenso firmamento super capita eorum: ergo cum nosser Evangelista nihil aliud dicat, nisi tantum quod unum quodque ex his animalibus condecorabatur senis alis, intelliguntur alæ tantum promptæ, ac expeditæ affectu alarum ad volandum, nempe tanquam ad hoc ministerium extensa, seu potius volantes; si verò apud Isaiam Seraphini operis capitibus apparebant, & apud Ezechielem animalia; non sic verò nunc apud Joannem: ratio discriminis est, quia major cognitio divinarum rerum nunc est in lege veteri; nam in lege veteri omnia erant occultata sub caligine ac umbris, nunc verò omnia aperta, ac manifestata, ut latius dicam quæstione sequenti.

286. Et cum hæc animalia haberent alas extensas, tanquam expeditas, ac promptas ad volandum, non sedebant, sed stabant; circa solium Divinæ Majestatis vidit Isaias 6. num. 2. quod Seraphini stabant; & tamen in hac visione viginti quatuor seniores sedentes apparent; & tamen Seraphini Angelorum Coriphæi stant, cum dicat Divus Bernardus Senensis sermone 3. de verbis Isaiæ: Sedere præsentis est, sedere dominantis, & regnantis est. Seraphini sunt spiritus amore pleni, amoreque ferventes, ac ardentes, & inde non sedent, & quiescunt, sed stant, & volant.

287. Deinde maxime in rem nostrâ seniores sunt servi, ac Domini clientes cum eo regnantes; ac Seraphini tanquam expediti milites zelo honoris Domini ferventes tãquam in promptu stant ad decertandum pro gloria Domini, ac pro bono nostro fervorem ejus. Sic ait D. Bernardus sermone proxime citato: Stat Christus in Pare, zelans Patris gloriam, querens & tanquam unigenitus; imò & primogenitus Patris: zelo Patris adjuvans adoptivos; sic illum stantem vidit Stephanus, quem habuit adiutorem, sic Provhera in adiutorem eum surgere precatur. Exurge Domine adjuva nos, Psalm. 43. num. 26.

Clamat Regius Vates Psalm. 28. n. 1. Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam, & honorem; afferte Domino gloriam, nomini ejus. Quæ verba dulciter ac eleganter explicat Chrylologus serm. 10. Afferte, afferte, ait, filios arietum, quos spontè veniunt, aut necessitas vocat: aut eras impedit, aut tenent vitia, aut delicta morantur. Adducite volantes, trahite nolentes, facite vobis de aliena necessitate mercedem. Qui fervet zelo honoris Dei, ac salutis proximi non quiescit, sed

289. Major cognitio divinarum in lege gratia, quam in veteri. 289. Anor necesse, nec quiescit. 287. Qui fervet zelo Dei, ac salutis proximi non quiescit. Act. 7. D. Bernard.

potius volat, ut omnes adducat, adducere volantes, ut gloriam dent nomini Dei, & proximo acquirant salutem; & ad hoc quater repetit. Afferte. Ut volando adducat per quatuor orbis partes, ut nullus sit locus, qui ab ejus charitate effugiat, sed ad omnem volando penetrat, ut omnes adducat ad gloriam, & honorem nominis Dei sui.

QUESTIO XXXIII.

Quare unumquodque ex his quatuor animalibus senas habet alas.

289. Ratio genuina, & literalis est, quia cum per alas denotetur cognitio, qua mens ad superiora volat, ac conscendit, inde optime arbitrantur Beda, Richardus, Victorinus, Pannonius, Ansbertus, Hugo Cardinalis, Nicolaus Zegerus, & Glossa, per alas significari perfectam, & consummatam Evangelistarum scientiam, quæ suo modo in viris Evangelicis necessaria est, nam ut ait Hugo Victorinus libro de Sacramentis legis naturæ, ac scriptæ senarius numerus signum perfectionis est, constat ex partibus æqualibus in ternario numero in Symbolo Sanctissimæ Trinitatis, & ad eod sex diebus voluit Deus complere opus suum, ut ostenderet se nihil imperfectum relinquere, sed omnia in consummationis apice esse constituta; & ut ostendatur Evangelistas in scientia perfectissimos esse, qua ad superna mysteria evolabant, inde sex alis insigniti proponuntur. Richardus Victorinus. Postquam ait, figurativam eorum similitudinem descripsit, perfectam eorum plenitudinem subiungit. Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas. Quid enim aptius accipimus per figuram alarum, quam scientiam Scripturarum, per quam quasi per quasdam alas relinquitur terrena, & ascendimus ad celestia: Quo videlicet sacra scientia aptè per senarium designatur, ut perfectionis eius virtus ostendatur.

290. Quod magis declaratur ex ipso senario numero alarum, animalia Ezechielis quatuor tantum alis prædita erant, quatuor penne uni cap. 1. n. 6. At animalia Joannis sex alis condecorabantur, ut major rerum divinarum intelligentia in statu gratiæ, quàm in statu legis significaretur. Et si Seraphini Isaiæ alas haberent, duabus tamen velabant faciem suam, at animalia Joannis discooperta, ac aperta habebant capita absque ullo velamine, quia clarior ac evidentior est nunc notitia divinarum mysteriorum in lege gratiæ quàm erat olim in antiqua lege. Sic dixit Christus suis discipulis: Multi Propheta, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ audistis, & non audierunt. Luc. 10. n. 24.

291. Unde olim Deus in caligine nubis loquebatur, Exod. 19. num. 9. at verò nunc in linguis igneis, Actorum 2. numero 3. quia quæ olim Deus clam, ac in caligine insinuabat, nunc patlam, ac aperto lumine tanquam cum lucernis manifestat, & ostendit. Quo spectat illa Dei D d 4 promissio

Zelus honoris Dei facit volatum in omnes partes mundi. 289. Beata. Richard Pannon. Ansbert. Hugo. Nicolaus. Glossa. Perfectissima scientia divinarum rerum in Evangelicis. 290. Ezech. 1. Isai. 6. 291. Major in lege nova quàm in veteri cognitio divinarum.



Iai. 60. D. Cyril. Eadem ma- for cognitio significatur.

292. Ezech. 1. Theodor.

Beatissimi spiritus in sua cognitio- ne habent terminum praefixum.

293. Magna agi- litas ad di- vina pen- tranda.

294. Richard.

Sex genera cognitio- num.

295. Joach. Rupertus.

Vir iustus operibus mi- sericordiae ful- geat.

Matth. 45.

S. Bonav.

promissio. Pro are, ait, offeram aurum, & pro ferro offeram argentum. Iai. 60. n. 17. Ubi N. D. Cyril. Alex. aris, ac ferri nomine legalem de Deo cognitionem; nomine autem argenti, & auri Evangelicam interpretatur; & quanto aurum are, argentum ferro pretiosius est; tanto asserit Evangelicam de Deo scientiam esse le- gali pretiosorem.

Deinde pondera, quod haec animalia tantum sex alas habebant, non decem, vel duodecim, ad quod rationem desumo ex Theodoro in c. 1. Ezechielis, ubi quærit cur illa animalia ha- bebant tantum quatuor pennas, duas quibus corpus suum tegebant. Ibidem. numero 11. & duas quibus volabant. Sic ait citatus Doctor His declaratur ne à Divinis quidem potestati- bus omnia comprehendere posse. Sed alia ipsi per- spicua, alia ignota esse, quæ sibi postros terminos haud quaquam transgrediuntur. Sed duas alas concessio sibi contemplandi munere exultantes ex- tendunt; & duabus contegunt eorum, quæ occultata sunt ignorantia contenta, neque contendentes, ut ea percipiant, quæ percipere nefas est. Non habent animalia alas innumeras, nec magno numero: sed in sexagenario numero nempe perfecto, quia Beati Spiritus, licet in Deo videant perfectè, quæ ad suum munus ac statum pertinent, tamen non omnia illius incompre- hensibilis naturæ eorum obtutibus præsentantur, sed in sua cognitione terminum præfixum, ac limitatam virtutem obtinent; & inde eorum alæ quibus ad intuitum divinæ essentia feruntur non sine numero, sed cum limitato num- ero ponuntur, ut eorum virtutem intelligendi limitatam esse denotetur.

Secundo, Sex alis sunt prædita animalia ad indicandum summam eorum agilitatem, ac elevationem, qua ad penetrandas res altissimas feruntur; & ut etiam exponit Arætas ad celeritatem erga Deum obedientiam, & executionem divinorum mandatorum denotandam, qua veluti multis alis adhibitis ad divina manda exercenda volant.

Tertio, Richardus de Sancto Victore hunc senarium numerum alarum, per sex cognitio- num genera ita dividit, ut prima cognitio sit legis naturæ; secunda cognitio legis veteris; tertia lectio Prophetarum; quarta lectio sapientia Evangelicæ; quinta lectio institutionis Apostolicæ, & sacrorum Conciliorum; sexta denique lectio Doctorum, & interpretum sac- ræ Scripturæ. Quibus omnibus perfectio, & plenitudo scientiæ habetur.

Quarto, Joachimus Abbas, ac Rupertus cum in quolibet animali mystico vir Apostolicus, & quilibet iustus denotetur, quid est quod sex alis insignitur? Quia debet fulgere sex operibus, quæ proximo exhibentur respectu corporis, ita ut reficiat esurientem, potet sitientem, nudam cooperiat, infirmum visitet, pauperem transeuntem hospitio colligat, sepeliat morientem. Rupertus ait: Senas oportet habere alas, id est sex opera misericordiae, quæ is, qui sedet super thronum stantibus à dextris ita enumerat, esurienti & destitit mibi manducare. Matth. 25. num. 35. Vel senas alas habere dicuntur, quia sex operibus misericordiae spiritualibus debet quilibet iustus occupari ita Divus Bonaventura libro de Ecclesiastica Hierarchia parte 1. ca- pite 2. Sex alæ sunt, ait, sex opera misericordiae

spiritualia proximo exhibita ex parte mentis, scilicet convertere errantem, instruire ignorantem, ad gratiam suscipere peccantem, diligere persequentem, arguere delinquentem, defendere innocentem.

Quinto, Ansbertus, unumquodque animal, ait, tenis repletur alis, quia vir ac Doctor Evan- gelicus ea, quæ sex mundi ætatibus partim per- acta sunt partim peragenda supersunt, sua co- gnitione, prædicatione debet comprehendere, & explicare, ut inde audientes laudent, & glorifi- cent Deum in operibus suis.

Sexto, Primasius, ac Victorinus Martyr di- cunt quod senæ alæ in quatuor animalibus si multiplicentur, viginti quatuor efficiunt, & si- gnificant viginti quatuor libros Veteris Testa- menti, qui nuntur, & volat per totum orbem sin- des, ac prædicat Divus Ambrosius, Nam sedilia viginti quatuor seniorum, quæ terra harent, de- notant viginti quatuor libros Veteris Testamenti, in quatuor animalibus Novi Testamenti conver- sos esse in alis; quia jam aperte, ac spiritualiter intelligimus ea quæ Judæi carnaliter intelligen- bant, & tanquam abscondita in se habebant, sic- que velut alis ad res divinas evolumus.

Septimo, Sic aliter, ac moraliter explico mentem Divi Ambrosii, qui postquam ait, quod senæ alæ in unoquoque ex quatuor animalibus efficiunt viginti quatuor simul collectæ, & sicut sedilia viginti, quatuor seniorum signifi- cant viginti quatuor libros Veteris Testamen- ti, ita etiam & alæ eundem significatum ten- nent, sed quomodo hoc fieri potest, quia sedilia harent terræ, & inserviunt ad sedendum, & incurvandam; alæ verò è contra ad in altum, ac sublime volandum? Sic ait Ambrosius: Sedilia hæc cum semper terra harent, eos qui in eis requiescunt ad terram aliquantulum incur- vant. Alæ verò, eos quibus innixa sunt ad excelsa sublevant. Sedilia, ac alæ diversa habent munia; sedilia terræ harent, ad terramque inclinant, at alæ sursum sublevant, & in altum elevant. Quomodo ergo possunt convenire in eodem significato? Sic pergit Ambrosius: Sed hæc se- dilia Patribus Novi Testamenti in alas conver- sa sunt; quia libros Veteris Testamenti spiri- tualiter intelligentes, per eorum doctrinam ad caelestia quotidie sublevantur. Ac si dicat sedilia ad terram inclinant, ac curvant seniores, & inde convertuntur, ac mutantur in alas, ut eos in altum extollant; cum ergo sedilia eos deprimant, ac humilient, non mirum quod sint tan- quam alæ, ut eos in altum levant, qui enim in domo Dei se humiliat, ac demittit ad terram, inde in sublime fertur, & ad supremum api- cem extollitur. Appositè ergo Divus Ambrosius alarum ministerium cum sedilium munere confundit, quia cum sedilia deprimunt, alæ ex- tollunt, quod consequens est unum ex alio.

Ingenti admiratione Ezechiel cap. 1. n. 22. gloriae Dei, Salvatorisque nostri triumphalem currum meditatus ait, Et similitudo super capi- ta animalium firmamenti. Rapidissimo motu in similitudinem fulguris animalia hinc inde fe- rebantur; quomodo in illis firmamentum thronus, ac sedes Dei stabilitur, & sustentatur? hoc spectat ad Cherubim, qui sedes super Cherubim. Psalm. 79. num. 2. Unde ergo animalia ter- restria Bæ, Leo, Aquila, Homo sic nobili-

296. Ansbertus.

297.

298. Primas. Victor.

D. Ambros.

Qui deprimi- tur humi- litate, inde exaltatur ac sublima- tur.

299. Ezech. 12.

Psalm. 79.

Humilitas dat alas ad sublimia.

300. Psalm. 134.

Qui se ex- tremum ju- dicat in altum vo- catur.

Origen.

301. Soph. 1.

Humilitas cum eleva- tione.

Remig.

tantur, ut Cherubim subeant vices; animalia ferebantur, ac movebantur simul adjunctis ro- tis, de quibus ait Propheta ibid. n. 18. Totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum qua- tuor. Cumque animalia haberent simul secum rotas subjectas firmamento, quæ apertis oculis circumcelatae erant, ut nullo motu circumvol- verentur, quin oculi deficiant, ut ad terram respiciant; qui ergo sic secum habet adjunctam terræ cognitionem, ut ad eam se demittat & contrahat, sic extollitur veluti aliis evolet ac præclarissimum præstantissimum spirituum munus, ut summissimum gloriae, & majestatis sedis Dei fiat sustentaculum, ac firmamentum.

De Deo decantat Regius Vates, educens nu- bes ab extremis terræ. Psalm. 134. n. 7. Nubes quæ per caeli terminem volant, ab extremis ter- ræ, decantantur educi: cur non potius à medio terræ, vel ex altis, & imminetibus montibus terræ, sed ab extremis? qui enim se extremum, ac novissimum existimat, sic sublimatur ac ex- tollitur, ut veluti nubes lucida evolet, ac ferat per caelum Origenes homilia 5. in Jere- miam c. 10. sic ait. Vides quomodo ab extremis terræ educat Deus hac corporea nubes: Propte- rea si volumus nubes fieri, ad quas perveniat veritas Dei novissimi omnium sumus.

Ait Sophonias cap. 1. num. 1. Verbum Domi- ni, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Gedolias, in diebus Iosia filii Amos Regis Iu- dae. Magno mysterio hæc omnia ordinata sunt, nam Chusi interpretatur humilitas, Godolias magnitudo Domini, Iosias verò elevatio, sem- per enim humilitas secum involvit magnitudi- nem, & cum magnitudine existit ac procreatur, ita ut ubi ipsa apparet, statim detur elevatio, ac exaltatio. Remig. Altiſtodorens ad citatum ca- put Sophonias: Hic ergo, ait, speculator filius Chusi, qui interpretatur humilitas, habet avum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini, de magnitudine Domini generatur humilitas. Ho- ralis, ac tantus bene dicitur fuisse in diebus Iosia Regis sanctissimi, qui interpretatur elevatio Domini, tempore ergo elevationis existit filius humilitatis, quia per humilitatem elevamur ad caelestem elevationem.

QUESTIO XXXIV.

Quare hæc quatuor animalia plena erant oculis ante & retro, intus & in circuitu secundum sensum literalem?

Multa Biblia hæc aliter dispungunt & ne- dant cum præcedentibus hoc modo: Habebant alas senas in circuitu, & intus plena sunt oculis. At Romana utrumque refert ad sequentia, & sic legit: In circuitu, & intus plena sunt oculis. Id est tam intus alas, quam extra tam intrinsecus, quam extrinsecus plena sunt oculis. Addit Alcazar fortè Joanni revela- tum fuisse præter oculos multiplices quos ha- bebant ante, & retro etiam interius plena esse oculis, quia si intima nudarentur viscera, appa- terent & viderentur plena oculis.

Hi autem oculi sicut & in rotis Ezechielis cap. 1. num. 18. existimant Lyranus, & Pradus, quod non erant vivi & humani, sed ficti, tan- quam picti, ut in cauda pavonum, nam in ro- tis non poterant esse oculi vivi: tamen sim- pliciter dicendum est, quod oculi in nostris animalibus, ac in rotis, erant veri, ac vivi oculi. Sic ait Ezechiel. 1. num. 20. Spiritus enim vita erat in rotis. Et licet materialiter in rotis non potest esse spiritus vitæ, maxime ve- rò symbolicè cum assumantur à Deo ad aliquid significandum ac representandum, nec ad hoc quod dicitur, ac pictam destinatur à Deo, sed vivum & verum, proindeque hæc animalia erant veri oculi vivi, & veri.

Bis de oculis horum sanctorum animalium Joannes noster agit; primò versu sexto. Qua- tuor animalia plena oculis ante, & retro. Se- cundo hoc versu octavo. Et in circuitu, & in- tus plena sunt oculis. Ergo ubique ac ex toto habent oculos, & nulla pars est, quæ careat oculis, ac proinde sive interius, sive exterius, sive ante, vel retro seu in circuitu omnia sunt oculi, seu veri oculi. Quid ergo hi tor, ac tanti oculi in his animalibus significant, juxta lite- ram hic inquirimus.

Vera, & genuina expositio, hæc sancta qua- tuor animalia, ut dixi supra quaestione 26. si- gnificant quatuor Evangelistas, seu quatuor Evangelia, quæ omnia sunt plena oculis quid- quidem in Evangelio sanctum est, ex su pre- ma, ac exacta vigilantia, sapientia, ac discretio- ne dispositum est; quidquid jubet, quidquid præcipit, quidquid consultit, omnia discretissi- me ac ad nostram salutem sunt ordinata, etiam secundum ultimam vitam, & apicem. Sic ait Ambrosius Ansbertus in præsentia. Plena itaque sunt oculis animalia, quia quotquot sanctorum Scripturarum eloquia, tot animarum sunt electo- rum spiritualia lumina.

Pro quo profundè considera, quod non so- lum dicuntur animalia plena oculis, ut videba- tur sufficiens, sed minutim ait Joannes, plena oculis ante, & retro, in circuitu, & intus. Nil redundat, sed omnia habebant magna mysteria. Primò dicuntur plena oculis ante. Quia Evan- gelium, dat nobis multiplicem cognitionem fut- urorum, quæ ante nos sunt, aperit oculos ad suscipiendos, ac expectanda præmia, quæ Deus justis, ac sanctis pollicetur, & ut etiam ca- veamus horribilia mala, quæ iniquis, ac excra- cratis, minatur Deus. Secundo, Plena sunt oculis retro. Explicat namque Evangelium quod fuimus, & unde venimus ex pulvere, nempe terræ, aperitque etiam quæ præcesserunt in ve- teri Testamento, secundum veram & re- ctam intelligentiam ac sensum in eis latentem, nobisque proponit altissima mysteria vitæ Christi, quæ pro nostra salute egit, Plena sunt oculis incircum, ad videndum ea, quæ circa nos sunt, & rectè illa ordinanda quoad nostrum mo- dum vivendi & operandi, ad quod Evangelium multa dat documenta, præcepta, ac consilia.

Plena sunt oculis intus. Quia, ut ait Paulus He- bræorum 4. numero 12. Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio accipiti, & peringens usque ad divisionem animæ, ac spi- ritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Verbum Dei non sunt tantum ipsæ literæ, ac voces,

303. Ezech. 1. Lyran. Pradus.

Oculi vivi ac veri.

304. Evangelium plenum oculis, & lumi- nans.

305.

Ansbert.

306.

Evangelium in omni cir- cumstantia oculis, & lux.

Hebræ.